



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XL. Juris Parochialis inter Episcopum, & Religiosos Controversi, ubi utiliter disseritur, ad quem devolvantur Jura desertorum Monasteriorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM XL.

In Cauſa Juris Parochialis in O. & M.  
Inter Reverendiſſimum Ordinarium, & Collegium  
Societatis JESU controverſi.

SUMMARIUM.

1. ſeqq. Facti Species.
6. Eruntur ſex Quaſtiones.
7. Afferuntur Rationes dubitandi.  
Episcopus habet intentionem fundatam quoad omnes Eccleſias ſuae Diocēſis. R. Monasteria deſerta cum ſuis Juribus devolvuntur non ad Episcopum, ſed ad Sedem Apoſtolicam. n. 48. & alibi.
8. Praſumitur Jus Parochiale devolurum ad Episcopum per Conventionem. R. Nullum probabile eſt Indicium talis Conventionis. n. 49.
9. Unio Beneficiorum facta praſumitur, ſi immemoriali tempore ut unita poſſidentur. R. Huic Praſumptioni obſtant clara Rationes. n. 50.
10. Immemorialis Praſcriptio tribuit Jus Parochiale, etiamſi ritulus allegari, vel allegatus probari non poſſit. R. Deſiciunt omnes Conditiones Praſcriptionis. n. 51.
11. Non apparet, quomodo Jus Parochiale tranſire potuerit ad Collegium. R. Translatum eſſe Auctoritate Pontificis. n. 52.
12. Jus Parochiale tranſferri non poteſt abſque Conſenſu Episcopi. R. Sufficit Conſenſus Summi Pontificis. n. 53.
13. Jura per non-uum, & toleratum uſum alterius extinguuntur. R. Neque tacita Renuntiatio in hoc caſu colligi poteſt, neque Praſcriptio inducta eſt. n. 54.
14. Eccleſia Quaſtionis fuit olim Parochialis, & incorporata Monasterio.
15. Solemnitates intrinſeca ad Contractum neceſſaria praſumuntur ex diuturnitate temporis.
16. In antiquis minor Probatio ſufficit.
19. Eccleſia Defenſore deſtituta, retinet omnia ſua Jura.
20. Qui legitime apprehendit Poſſeſſionem Eccleſia deſerta, apprehendit ſimul Poſſeſſionem omnium Jurium illius.
21. Etiam deſtructo Monasterio Jura remanent in ſolo.
22. Hinc Jura omnia antiqui Monasterii in praſenti Caſu translata ſunt ad Collegium.
23. ſeqq. Cui eſt traditum Monasterium cum omnibus Juribus & Pertinentiis Auctoritate Pontificia.
27. Conſequenter etiam cum Jure Parochiali Eccleſia M.
28. ſeq. Quod Episcopus nunquam praſcripſit. Nam ante Traditionem Societati factam.
30. Deſuit Episcopo Poſſeſſio. 31. Titulus.
32. Bona Fides.
33. Tempus Legitimum.
34. Praecipue, quia Eccleſia fuit ſine Rectore, & quaſi in Statu pupillari.
35. Ex iſdem fere Rationibus Episcopus non praſcripſit poſt Traditionem Societati factam.
36. Contra Societatem JESU requiritur Praſcriptio Centenaria.
37. Allegari debet Titulus, aut Tempus immemoriale, ubi Praſcribenti reſiſtit Jus. Parochus habet Intentionem fundatam etiam contra Episcopum, quoad Decimas, & alia Jura Parochialia.
38. Episcopus nunquam habuit Poſſeſſionem quietam.
39. Saltem Collegio competeret Reſtitutio in integrum.
41. Episcopus non poteſt Eccleſiam unire Menſa Episcopali.
42. Nec de alia Unione conſtat.
43. Translatum igitur Jus hujus Eccleſia eſt ad Collegium Societatis cum ipſo Monasterio.
44. ſeqq. Nec opus eſt exhibere Literas Originales Pontificiae Confirmationis.

FACTI SPECIES.

I. **E**Xtat in Toparchia M. Diocēſis N. Eccleſia S. Georgii. Hanc Eccleſiam, a ſe ex Patrimonialibus fundatam, & dotatam, Anno 1380. ejuſdem Toparchiae Dominus, cum omnibus Appertinentiis donavit, & tradidit Monasterio A. ita quidem, ut Priori, & Religio-

R. P. Schmalzgrueber Conſil. Tom. I.

ſis vi hujus Donationis competeret non modo Jus Patronatus, ſed & Parochia in M. & O. ; nam haec loca unam Parochiam faciunt. Hoc ergo Jure uſi Prior, & Conventus Monasterii praedicti, exercuerunt ibi Jura Parochialia per Regulares e ſuo gremio, vel per alium a ſe conſtitutum Vicarium Saecularem. Cum Administratione Curae Parochialis ad idem Monasterium tranſiit etiam Jus percipiendi Reditus, & Proventus illius Eccleſiae, & quidem pacifice

Zz 2

ficé possessum usque ad Annum 1498. circa quem annum Henricus de L. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, & quidam alii tum Clerici, tum Laici memoratos Priorem, & Fratres impedire præsumperunt, quò minus Ecclesiam Parochialem supra dictam pacificè tenere, & possidere illiusque Fructus, Reditus, atque Proventus cum integritate percipere possent. Super quo gravamine imploratus Alexander VI. Pont. Max. negotii istius Examen commisit Abbati ad S. U. & Decano Ecclesiæ S. M.

2.

Perseveravit Administratio ista Cura Parochialis penes prædictos Religiosos usque ad Annum circiter 1525. quò tempore invalescens per Germaniam Hæresis Lutherana etiam ipsos infecit, adeò, ut traditis antea Magistratui Civico Asceterii clavibus, ab Ordine suo Religioso simul, & à Fide omnes defecerint. Post horum discessum, & defectionem, Monasterii Proventus annui administrati sunt à Sæcularibus, ipsa verò Ecclesia M. pro Administratione Cura Pastoralis ab Ordinario ob Sacerdotum penuriam, & temporum illorum iniquitatem, cum proprius Parochus haberi non posset, commissa est Parocho P. qui propterea Parochianos ibidem modo provisorio per Cooperatorem suum in Sacris procuravit, relictâ ipsi in compensationem laboris tertâ parte Decimarum, alias ad Ecclesiam pertinentium; duas enim partes idem Ordinarius sibi retinuit.

3.

Continuata est Administratio hæc intermistica usque ad Annum 1550. circa quem Dominus Baro de F. Toparchia Dominus, cum Parochianorum M. curam geri negligenter cerneret, præfici Ecclesiæ illi fecit Curatum proprium. Talisque etiam post hac eam rexit semper usque ad prædicti Domini de F. obitum, prout jurati Testes tum ex propria Scientia, tum ex auditu habito à Prædecessoribus suis affirmarunt. Post mortem istius, quæ circa Annum 1583. nullo Hærede masculino relicto, contigit, cum nullus esset, qui Parochiales Functiones in ea Ecclesia prosequi vellet, aut posset, ab Ordinario Parochiani O. & M. iterum iussi sunt quoad Parochialem Curam se subicere Parocho P. qui rursus illam administravit per Cooperatorem suum. Et sic perrectum usque ad nostra tempora, quamvis reclamantibus semper Parochianis, & proprium Parochum à quolibet regnante Ordinario impensè postulantibus.

4.

Circa Annum 1618. Toparchia hæc devoluta est ad Serenissimum quandam Principem, qui subin eodem Anno memoratum Monasterium cum omnibus absolutè Juri- bus passivis, & activis, quibus priores Religiosi antehac gaudebant, accedente plenissimo Consensu, Approbatione, & Autoritate Pauli V. Pont. donavit, & tradidit Societati JESU in Fundationem Collegii in Civitate illa erigendi, prout Literæ Funda-

tionis ipsius Collegii docent. Successit itaque Societas in plenam Possessionem non tantum Redituum, Bonorum, Jurium, & Privilegiorum omnium, sed etiam Ecclesiarum quarundam, inter quas tres Parochiales, Mi. W. & O.: priores duas aliquando per submissos è Collegio Patres, potissimum verò per Sæculares Clericos, seu Vicarios administravit, tertiam O. ob graves Rationes hæcenus reliquit in Statu provisorio, & hujus intuitu etiam Decimas Ordinario Augustano, & Parocho P. solâ sibi retentâ Villâ Parochiali (vulgò den Wiedenhoff) cum aliis exiguis Decimis ex certis quibusdam Agris, & Fundis.

Interea temporis in Parochia O. & M. Subditorum numerus crevit in tantum, ut proprio ipsi Parocho indigerent. Quare non destiterunt peculiarem urgere Curam, & ut antiquum Jus Parochiale apud se denuò suscitaretur, omni modo unanimi contentione, & fundamentis sanè ponderosis laborarunt, idque etiamnum faciunt apud Reverendissimum Officium: quorum sollicitationem tandem adjuvans Collegium Societatis, ibidem jam ab Anno 1698 decenter institit, ut hoc in petito suo exaudirentur Parochiani, salvo tamen Jure Parochiali, quod tanquam sibi adhuc competens, & æquè partim, ac in Mi. & W. Ecclesiis per defectionem Monachorum extinctum, gravissimis Rationibus, & antiquissimis Documentis, contranite tam en semper, & Jus hoc sibi, Provisionem verò Parocho P. tribuente Ordinario, vindicare sibi idem Collegium hucusque contendit.

### Questiones discutiendæ.

HAC Facti Specie positâ, quaritur 1. Utrum Ecclesia O. & M. aliquando verè Parochialis, & Monasterio A. legitimo modo incorporata fuerit? 2. An post istorum defectionem Jus Parochiale positum, quòd revera istud competierit ipsis in ista Ecclesia, penes Monasterium desertum manserit, an verò ad Ordinarium Diocesenum sit devolutum? 3. Si devolutum non statim est, an illud occasione Donationis à Serenissimo Principe factæ ad Collegium Societatis JESU transierit? 4. An Episcopus Jus hoc Parochiale in dicta Ecclesia O. & M. revera præscripserit? 5. An si aliquando Jus istud Collegio Societatis competuit, illud etiamnum eidem competat? 6. Utrum ad probandam Unionem Monasterii, & Parochiæ controversæ, procurante Serenissimo Principe, autoritate Pauli V. Pont. factam, necesse sit ostendere in Originali Literas dicti Pontificis, vel producere Testes de perceptis aliquando à Collegio Decimis O. & M. bus, & aliis proventus ad Ecclesiam istam pertinentibus?

Plures

7.  
Rationes  
habendi.

Plures sunt Rationes, & Argumenta, quae contra Collegium pro Ordinario videntur militare. Et 1. Quidem Jus istud Parochiale, quod aliquando aliis Religiosis in Ecclesia O. & M. competit, videtur per ipsam defectionem, & desertionem Monasterii transiisse ad Episcopum; nam illo ipso temporis puncto, quo illi cesserunt suis Bonis, & Juribus una cum Monasterio, Jus Parochiae M. competebat nemini. Jus autem Parochiarum, quod vel nemini competit, vel dubitatur, an alicui competat, refertur Episcopo.

*c. licet. 29. de Prab. in 6. e. eam te. 22. & c. cum propter. 27. de Jur. Patron. Clem. un. ut lit. pend. & clarè sancitur in Concil. Cabilon. quod refertur can. Decretum est. 3. caus. 10. q. 1.*

cum Episcopus respectu Diocesis suae sit, quod Papa respectu totius Ecclesiae; & hinc Parochus Parochorum suae Diocesis est, habetque curam suam subiectas omnes Ecclesias in hac sua Diocesi extantes, & non exemptas; ita, ut ipse, nisi ex Fundatione Beneficii, vel legitima Prescriptione hoc Jus alteri competat, sit proprius Collator Beneficiorum suae Diocesis; atque ad ipsum, utpote qui Princeps; & Moderator Sacrorum est in Diocesi sua, pertineat omnes Ecclesiae Ministros constituere, & Officia Sacra conferre.

*Less. l. 2. de J. & J. cap. 34. num. 43. Leuren. for. Benef. p. 2. sect. 3. q. 667. Wiestner ad lib. 3. Decret. tit. 5. num. 46.* estque haec praesix omnium per Germaniam Ecclesiarum.

Et ob hanc causam, sicut optime notat Palao *tract. 28. D. 2. p. 13. §. 11. n. 1.* omnibus omnino Matrimonii in sua Diocesi potest assistere; quia est supremus omnium Ecclesiarum in illa sitarum Parochus.

2. Si non statim Jus Parochiale per ipsum Monachorum discessum fuisset devolutum ad Ordinarium, id tamen successu temporis fuisset ipsi acquisitum speciali conventionione inter illum, & Dominum de E. Toparcham circa Annum 1540. inita; cum enim iste sub illud tempus adverteret Sacra in O. & M. negligenter satis procurari, Episcopo Decimas, quas iste ex dicta Parochia colligebat, confiscavit, easque eodem anno ipsi restituit sub onere melius administrandi deinceps Curam Parochialem. Ex quo suspicio est, ut quaedam Literae memorant, inter memoratum Dominum, & Ordinarium convenisse certis conditionibus, & deinceps Parochiam O. & M. à Monasterio fuisse avulsam: cujus indicium est ipsa relaxatio Decimarum in favorem Ordinarii facta, qua idem Toparcha factus videtur, quod Jus Parochiale in loco Quaestionis eidem Ordinario competat; Decima enim, secluso Privilegio, vel Prescriptione, Jure communi ad solum Parochum pertinent, adeo, ut iste super perceptione illarum fundatam in Jure inten-

tionem habeat adversus quemcunque, etiam Episcopum proprium, cui proinde, cum Parocho concurrenti, incumbet onus probandi, quod Jus Decimarum vel ex Privilegio, vel aliunde habeat, prout sumitur ex *c. cum a nobis. 24. c. cum contingat. 29. & c. de Decim.*

Vel si difficultas fieri velit in hoc puncto conventionis, quod Laici circa Jura spiritualia disponente nihil possint, consequenter conventionem cum Toparcha praedicto Jus Parochiale in Episcopum transferri nequeat, verit.

3. Dici potest, quod Episcopus post desertum à Religiosis Monasterium, & Jura ejusdem abdicata, Jus Parochiae in O. & M. accessorie univert Ecclesiae Cathedrali, & eam per Vicarium, nempe Cooperatorem P. administraverit, assignata in hujus sustentationem Parocho P. parte Decimarum. Et ita unionem factam esse probabilis est conjectura; nam 1. Aderat causa, quam praestitit defectio Religiosorum, ad quos Cura administrandi Parochiam illam spectabat, & paucitas Sacerdotum idoneorum eo misero Germaniae statu: quarum utraque ad faciendam Unionem sufficit: de prima patet ex

*c. quia Monasterium. 2. de Relig. Dom. ubi conceditur Unio Monasterii, quod hostilitate faciente fuit desolatum. De secunda docet Azor part. 2. l. 6. c. 28. q. 14. Rebuffe Prax. de Union. num. 39. Laym. l. 4. tract. 2. c. 9. n. 8. §. causa. Sanch. l. 7. Moral. c. 28. n. 161. Palao tract. 13. D. 6. p. 12. §. 2. n. 19. Pirhing ad tit. de Prab. & Dignit. n. 209.*

Ulterius 2. Non deerat potestas in Ordinario ad Unionem hanc faciendam; nam Episcopo Jure communi potestas competit perpetuo, citra praesudicium tamen, univendi Ecclesias, & Beneficia omnia suae Diocesis, non exempta ab ejus Jurisdictione.

*c. sicut. 8. de Excess. Pralat. Rebuffe Prax. tit. de Union. n. 22. Azor. c. 28. cit. q. 6. Sanch. l. 7. cit. c. 29. num. 147. Layman c. 9. cit. num. 3. princ. Garc. p. 12. de Benef. c. 2. n. 62. Barbosa. J. E. l. 3. c. 16. n. 54. Pal. p. 12. cit. §. 1. n. 2. Leuren p. 3. for. Eccl. q. 901. n. 1. Pirhing. loc. cit. num. 205.*

Iterum 3. Dici non potest, quod defuerit Consensus requisitus eorum, in quorum praesudicium Unio ista cedere potuit; nam Monasterium eo tempore erat desertum, & si quis alius potuisset obistere, Unionem sic factam ipsa taciturnitate sua approbasset, cum nemo contradixerit, aut Jus aliquod sibi reservaverit. Qui tacet autem, consentire videtur.

*Reg. qui tacet. 43. de R. I. in 6.*

Denique 4. Unionem sic factam sufficiens probat diuturnitas temporis; nam ab

9.

.01

Anno 1525. vel 1530. Ordinarius Parochiam O. & M. per Cooperatorem administravit. Est autem communis doctrina, quam etiam post Garciam & Palaum tenet

Leuren p. 13. cit. q. 932. quod si Beneficium ab immemoriali tempore sine Collatione propria, & ut unitum alteri possessum fuit, in dubium Unio ista revocari non debeat, tamen modo Titulus, aut Instrumentum Unionis exhiberi nequeat. Imò, ut cum alijs docet Clericatus, ad probandam Unionem sufficit probabilis conjectura, quam in Casu præsentis præbet perceptio Decimarum ad duas partes, quas colligere Episcopus non potuisset, si Jus in Parochia Questionis non habuisset.

IO.

4. Saltem defendi potest, quod Episcopus per viam Præscriptionis obtinuerit Jus Parochiale in O. & M. antequam Monasterium desertum Patribus Societatis JESU traderetur. Ergo ad hos nunquam fuit delatum. Ant. patet ex tempore longissimo ad Præscriptionem extraordinariam sufficiente, quo Episcopus fuit in Possessione dicti Juris, siquidem ab Anno 1525. vel 1530. quo Monachi cesserunt Monasterio, & ejus Juribus, usque ad Annum 1618. quo Monasterium istud traditum fuit Patribus Societatis, fluxerunt anni 93. vel 88. per quos utique completur Præscriptio longissimi temporis, ut omnes fatentur, & Jura manifesta loquuntur. Imò si huic tempori adjiciantur anni 80. quibus PP. Societatis ab Anno 1618. usque ad annum 1698. siluerunt, facile complebitur Præscriptio immemorialis, quæ tantarum est virium, ut quod aliis impræscribibile est, per eam præscribi possit, neque Titulus requiratur ad obtinendum Jus etiam adversus illos, quibus Jus assistit, & ab illis, quibus Jus cum prohibitione resistit.

6. Episcopum. 1. de præscript. in 6. ibi: Nisi tanti temporis allegetur Præscriptio, cujus contrariis memoria non existat.

Hinc fundans se in Præscriptione immemoriali, non tenetur allegare Titulum, & si alleget, eum verò probare non possit, nihil plerumque eidem obest; quia ex adjuncta Possessione diuturna, Præsumptionem, & corroboracionem accipit.

Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 1. cap. 8. num. 15.

II.

5. Non apparet, quomodo Jus Parochiale in O. & M. etiam posito, & non concessio, quod illud antea à Monasterio non fuerit avulsam, transire potuerit ad PP. Societatis. Non enim 1. Jus istud obtinuerunt immediatè à primis Asceterii inquilinis, uti evidens est ex Facti Specie, imò Jesuitæ eo tempore, quo Religiosi Monasterium suum deseruerunt, necdum erant in rerum natura. Non 2. mediatè per Dominum Territorialem; nam ut hic Jus istud transferre posset ad PP. Societatis, necessarium erat, ut illud post emigrationem, & defectionem Religiosorum devolutum ad

ipsum fuerit, cum nemo plus Juris possit transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

Reg. nemo. 79. de R. I. in 6.

Non potuit autem Jus istud ab Apostatis Religiosis devolvi ad Dominum Territorialem Laicum, etsi Fundator is fuerit, aut Hæres, vel Successor Fundatoris; quia est Jus Sacrum, & Spirituale, vel saltem Juri Spirituali, scilicet Officio Parochiali administrandi Fidelibus Sacramenta, prædicandi Verbum DEI &c. annexum, cujusmodi Jurium Laici incapaces sunt, ut pro indubitato tenent omnes.

6. Ut Jus Parochiale (vel etiam Patronatus) validè transferatur ab uno in alterum; requiritur consensus, & autoritas Episcopi.

Barbos. J. E. U. l. 3. c. 12. n. 246. & 253. allegans Decisionem Rotæ: & consonat can. sine exceptione. 52. caus. 12. q. 2. aliæque Jura alienationem rerum, & Jurium Ecclesiasticorum absque consensu Episcopi attentatam irritantia.

Atqui nec Religiosi desertores in sua cessione, nec ipse Serenissimus Dux, in sua Donatione, in favorem, & manus Patrum Societatis facta, adhuc tenent consensum Episcopi, præsertim quoad translationem Juris Parochialis in O. & M. Imò Ordinarius constanter negavit, & adhuc negat, dictum Jus competere Patribus Societatis, & quidem merito, quod Serenissimus, utpote Princeps Laicus, consequenter Jurium Spiritualium incapax, tantum donare potuerit Bona temporalia Monasterii deserti, non verò Jura Spiritualia, cum nemo det, quod non habet.

7. Si Patres Societatis habuissent, vel credidissent sibi competere hoc Jus Parochiale, non tanto tempore siluissent, sed usi illo fuissent, vel saltem conquesti de violatione Juris sibi competentis, quæ enim causa allegari potest tam diuturni silentii, & non-usus alia, quam quod agnoverint illud sibi non competere? Imò si competisset primitus, per non-usum fuisset extinctum; Jura enim per non-usum, & patientiam illius, qui habuit antecedenter, & sciens silet ad exercitium Juris ab alio debito tempore continuatum, extinguuntur. Hoc autem factum est in Casu præsentis; viderunt enim PP. Societatis, & sciverunt, quod Episcopus Jus Parochiale in O. & M. per Parochum, vel potius Cooperatorem P. exerceat, & exerceat pergat, etiam post translatum in ipsos Monasterium, & ab Anno 1618. quo Monasterium hoc fuit ipsis traditum, usque ad Annum 1698. integris 80. annis ad hoc siluerunt, nec jure suo usi sunt, aut contra protestati. Igitur licet hoc Jus aliquando obtinuissent, illud tamen hoc suo tam diuturno silentio, & non-usu amissum ab ipsis, & ab Episco:

Episcopo per usum ejusdem tanto tempore continuatum fuisset obtentum.

Hæc sunt potissima Argumenta, quibus suaderi potest adjudicatio Causæ pro Ordinario Diocesano, quæ tamen, si penitus considerentur, minime persuadent intentum. Hinc

14.  
Resolvitur  
Questio 1.

AD QUESTIONEM 1. *Utrum Ecclesia O. & M. aliquando verè Parochialis, & Monasterio A. legitimo modo incorporata fuerit?*  
R. Affirmative; & quidem Parochialitas istius Ecclesiæ probari potest 1. Ex Bulla Alexandri Papæ VI. editâ 1498. ubi expresse Ecclesia ista vocatur Parochialis. 2. Ex Commissione Episcopali pro Anno 1523. ubi Ecclesiæ in Mi. W. & M. dicuntur Parochiales. 3. Ex documentis Originalibus aliis, quibus describuntur onera Parochialia Episcopo soluta à Monasterio intuitu Parochiæ M. 4. Ex propria Confessione Reverendissimi Episcopi, dum in Literis suis hanc Ecclesiam appellat Parochiam, asseritque Jus Parochiale respectu Collegii Societatis expirasse.

15.

Quod verò Ecclesia hæc M. aliquando legitimo modo Monasterio A. fuerit incorporata, patet 1. Ex Literis Donationis factæ à SchWiggero Huser Toparcha datis Anno 1380. Ubi Religiosis illis donat Ecclesiam M. cum omnibus Juribus, & pertinentiis; quam Donationem confirmavit, & auxit Henricus à M. dum in favorem eorundem Patrum, ut Literæ 2. Non. Mart. 1385. datæ testantur, homines ad Ecclesiam prædictam pertinentes ab omni Advocatia, præcaria infestatione, & Juribus, quibus eidem Domino adstricti erant, absolvit. Neque obstat, quòd in his Literis non fiat mentio de consensu Apostolico, vel Episcopi, sine quo à prædictis Dominis Ecclesia ista, tanquam res spiritualis, donari non poterat; nam in casu, quo à tempore Donationis, vel alterius alienationis tempus longum, aut longissimum, sicut in Calu præsentu, lapsum est, & ipsa Donatio, vel alienatio quæcunque alia interea nunquam fuit impugnata, omnia cum requisitis solemnitatibus legitime acta præsumuntur, ex generali Regula, quòd Solemnitates intrinsecæ, quæ ad Contractum sunt necessariæ, ex temporis diuturnitate præsumantur, si ex parte ejus, cui præsumptio favet, Possessio sciente, & patiente parte adversâ, detur.

Laym. 1. 3. tract. 4. c. 10. n. 4. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 95. n. 72. Palao tract. 12. D. un. p. 15. §. 2. n. 13.

16.

2. Idem constat ex Bulla Alexandri Papæ cit. ubi idem Pontifex contra Henricum à L. Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, & quosdam alios Clericos, & Laicos, qui Religiosos memoratos, quo minus Ecclesiam Parochialem in M. NB. præfata Dominus, (i. e. Monasterio) Canonicè unitam, & annexam, & incorporatam --- pacificè teneat, & possidere, illiusque fructus, redditus, &

proventus cum integritate percipere possint, contra Justitiam impedire præsumpserunt hæctenus, Abbati ad S. U. & Decano Ecclesiæ S. M. mandat, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quòd justum fuerit, decernant, & quòd decreverint, per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari faciant. Neque obstat, quòd Originale istius Bullæ non habeatur apud Collegium, nec sciatur, quam resolutionem in Causa prædicta nominati Commissarii Apostolici dederint; sufficit enim, quòd habeatur illius Copia antiquâ manu scripta (nam in antiquis minor probatio sufficit) & quòd ipse Pontifex agnoverit, Ecclesiam M. fuisse, & esse unitam, annexam, & incorporatam memorato Monasterio A. quòd solum hic probari debebat.

17.

3. Idipsum probatur ex Commissione annua, quarum una 25. Julij 1523. facta sic habet: *Vicarius Reverendissimi in Christo Patris, ac Domini Domini N. DEI, & Apostolica Sedis Gratia Episcopi N. in Spiritualibus Generalis Dilecto nobis in Christo Priori Monasterii A. salutem in Domino. Ut Parochiales Ecclesias in Mi. W. & M. inofficiare, & regere, earumque Curam animarum liberè gerere, & exercere, ac populo ibidem Ecclesiastica Sacramenta ministrare possit, & valeat &c.* Ubi Parochia M. pari passu procedit cum Mi. & W. de quibus extra controversiam est, quòd Monasterio, & nunc Collegio unitæ, & incorporatæ sint. Igitur similiter incorporata censebitur Parochia M.

18.

4. Hoc etiam produunt Documenta, in quibus describuntur onera Parochialia, Cathedralica &c. Episcopo à Religiosis illis soluta intuitu Parochiæ M. Item Acta alia, ex quibus liquet, quòd iidem PP. quamdiu retinuerunt Monasterium, Jus Parochiale in M. retinuerint & exercuerint, vel per seipfos, vel per Vicarios administrando Curam animarum. Atqui tali casu, ubi Beneficium ab immemoriali tempore ut unitum alteri possessum fuit, in dubium revocari non debet Unio, tamen modò Titulus, aut Instrumentum Unionis exhiberi nequeat, ut cum Garcia, Palao, & communi aliorum notat

Leuren p. 3. for. Eccl. q. 932.

Igitur dubitari non debet, quòd Ecclesia M. aliquando fuerit legitime incorporata Monasterio prædicto. Imò hoc ipsum aperte fatetur Reverendissimum Officium in suis Literis, ubi asserit, Jus Parochiale respectu Collegii expirasse. Igitur aliquando ad Monasterium, cui Collegium successit, pertinuit; neque enim quis expirat, nisi prius spiraverit.

19.  
Resolvitur  
Questio 2.

AD QUESTIONEM 2. *An postò, quòd Jus Parochiale in M. aliquando dictis Religiosis competierit, post horum defectionem penes Monasterium deserrum manserit, aut remanere debuerit, an verò illud ad Ordinarium sit devolutum?* Resp. Nisi doceatur, quòd Jus istud

Præ-

Præscriptione, vel alio legitimo modo postea sit acquisitum Episcopo, illud remansisse, & remanere debuisse penes Monasterium memoratum, sicut alia Jura, ac bona eidem competentia, & legitime incorporata. Ratio est, quia eo tempore Rectore caruit, & inquilinis, à quibus Jura ipsius conservari, atque defendi possent. Atqui si Ecclesia, vel Monasterium Rectore, vel Inquilinis destituitur, hoc ipso non destruitur, aut desinunt, sed permanent tanquam persona ficta, quæ penes se retineat, & possideat omnia sua Bona, & Jura.

Innoc. in c. cum super. de caus. possess. & propr. num. 4. Lotter. de Re benef. l. 1. q. 28. n. 103. Rot. decis. 1. num. 4. de restit. spoliat. in nov. Item decis. 658. n. 3. p. 2. in recent.

20. Licet igitur vacet Ecclesia, vel Monasterium, vitâ functis, vel abscedentibus omnibus illius membris, aut Juri suo renuntiantibus, non tamen vacat Possessio bonorum, & Jurium illius, sed hæc semper manet penes ipsam Ecclesiam, vel Monasterium: & hinc qui postea apprehendit possessionem talis Ecclesiæ, vel Monasterii deserti, simul apprehendit possessionem Bonorum, & Jurium illius omnium.

Arg. §. ecce enim. 1. Inst. de acquis. per ar. rogat. l. si adopravero. 16. ff. de Precar. l. possideri. 3. ff. de acquir. vel amitt. possess. Natta Cons. 562. n. 13. Rota decis. 19. n. 3. p. 2. divers.

21. Proceditque hoc, licet Monasterium fuisset destructum (modo autoritate Superioris Ecclesiastici, & sine spe reedificationis destructum non sit) nam tali casu eidem nihilominus Jura sua manent integra, & conservantur atque remanent censentur in solo.

L. ade sacra. 73. ff. de contrab. empr. Gloss. in can. & hoc diximus. V. destructa. caus. 16. q. 7. Abb. in c. 2. n. 12. de Postul. Pralat. Laym. in c. 1. de Elect. & Elect. potest. n. 5.

Et hinc si tale Monasterium è ruderibus suis rursus confurgat, vel aliis concedatur, omnia Bona, ac Jura, quæ prius durabant in habitu, reducentur ad actum ipso Jure; quia ejusmodi locus sine ullo corpore materiali dicitur vivere quodammodo in intellectu nostro, & extare quasi anima sine corpore, ac retinere omnia sua jura.

Arg. l. mortuo. 22. ff. de Fidejuss. & mand. l. hereditas. 50. ff. de hered. petit.

Nam idem cum priore censetur.

Arg. l. servitutes. 20. §. si sublatum. 2. ff. de servit. præd. urb.

Neque calamitas facti aufert Jus, vel titulum. Tambur. de Jur. Abb. tom. 3. D. 5. q. 9. num. 2. cum Abb. Alex. Innoc. Felin. Bald. Sylv. &c.

22. Multò igitur magis in Casu præsentis Monasterium A. cum non fuerit destructum, sed permanserit, licet destitutum inquilinis, retinuit omnia sua Jura, & possidere perre-

xit, tanquam persona ficta. Unde sic argumentor: Si penes Monasterium inquilinis destitutum remanent omnia illius Jura ipsius prius competentia, & legitime incorporata, tunc in Casu, quo idem Monasterium legitima autoritate recuperet Rectorem, & inquilinos novos, ea Jura, & proprietatem utique ad istos transferet, præsertim si expressè novis inquilinis tradatur cum omnibus Juribus, & pertinentiis. Hoc autem factum est in Casu præsentis, postquam Monasterium A. à Religiosis desertum, & diuturno tempore Inquilinis destitutum, ex concessione Pontificia à Serenissimo Duce traditum Patribus Societatis est. Ergo &c. Confirmatur à pari: Jus Parochiale in Mi. & W. perduravit penes Monasterium prædictum à tempore, quo fuit desertum ab iisdem Religiosis, usque ad tempus, quo Patribus Societatis illud traditum fuit. Ergo etiam penes idem Monasterium perduravit Jus Parochiale in O. & M.

AD QUESTIONEM 3. An si Jus Parochiale in Ecclesia Quæstionis non fuit statim devolutum ad Ordinarium, sed penes Monasterium desertum mansit, illud Jus occasione Donationis, à Serenissimo Duce facta, ad Collegium Societatis Jesu transierit? Resp. transiisse, si via Præscriptionis, vel alio legitimo modo non prius fuit acquisitum Episcopo: quod ostenditur manifestè. Nam Jus hoc Parochiale juxta dicta ad Quæst. præc. cum omnibus aliis Juribus remansit penes Monasterium etiam Inquilinis destitutum; quia tanquam Jus reale inhæret ipsi rei. Igitur cum Monasterio, & cæteris Juribus transire debuit ad novum Rectorem, & Inquilinos, scilicet Patres Societatis, si illud istis legitima autoritate sit traditum, præsertim quando traditio est facta cum adjecta expressa clausula cum omnibus Juribus, & pertinentiis; nam accessorium, uti hoc casu sunt Jus Parochiale & alia Jura respectu Monasterii, sequitur principale, & cum principali transit, ad quemcunq; ipsum principale transit.

Reg. accessorium. 42. de R. J. in 6.

Subsumo: atqui Monasterium Quæstionis dicto modo translatum est in PP. Societatis; nam 1. Facta est ista Translatio à Serenissimo Duce Dynastiæ Domino ex mente Fundatorum, quippe qui in limine Fundationis caverunt, ut casu, quo dictum Monasterium aliquando Religiosi, quibus primitus traditum fuerat, desererent, liberum ipsis, hæredibus ipsorum, & successoribus sit in id Religiosos, cujuscunque Ordinis inducere, illudque ipsis inhabitandum tradere. 2. Accessit Autoritas Pontificia; nam Translatio hæc facta est cum expressissimo consensu Pauli V. Summi Pontificis. 3. Non defuit prædicta Clausula cum omnibus Juribus, & pertinentiis; nam hæc expressissimis verbis adjecta est. 4. Adfuit etiam causa rationabilis; nam translationem istam laudatus Serenissimus Princeps fecit, commemo-

moratis meritis Societatis, cujus obsequia in instructione Juventutis &c. Domui suæ, Provinciis, & Subditis admodum proficua fuisse testatur: quæ omnia ex Literis Traditionis & Fundationis Collegii ab eodem Serenissimo 11. Jan. 1618. datis aperte constant.

25. Ex quo concludenter inferitur, quod sicut per memoratam Traditionem & Donationem Monasterium hoc, olim desertum, cum omnibus juribus, & pertinentiis in PP. Societatis transiit, ita quoque possessio, & proprietas Ecclesiæ Parochialis in M. Confirmatur: Vi dictæ Donationis ad PP. prædictos transiit possessio, & proprietas Ecclesiæ Parochialis in M. & W. unâ cum Beneficio S. Alexandri in U. & aliis juribus, ac pertinentiis, ut nemo negat, & hoc ideo præcipue, quia Ecclesiæ istæ, & jura jam olim fuerunt incorporata Monasterio. Atqui, ut ad *Quæst.* 1. ostensum est, eidem Monasterio etiam incorporata jam olim fuit Ecclesiæ Parochialis in M. Igitur etiam ipsius possessio, & proprietas vi ejusdem Traditionis ad eosdem PP. transire debuit, cum eadem quoad hanc, quæ quoad illas, ratio pugnet.

26. Neque obstat, quod Serenissimus Princeps non habuerit Jus Parochiale, utpote tanquam Laicus illius incapax, consequenter illud dare non potuerit; nam in primis retorquetur argumentum in Parochiam M. & W. quæ occasione Donationis à Pontifice confirmatæ transierunt ad Societatem, quamvis eadem sit ratio, quæ pro Parochia M. Deinde non ipse Princeps dedit Jus Parochiale, sed tantum occasione Donationis ab ipso factæ illud Jus concessit Pontifex confirmans Donationem; Pontifex autem utique concedere Jus Parochiale poterat. Imò ad Translationem Monasterii prædicti, & jurium ejus in Societatem non videtur opus fuisse novâ Licentiâ Summi Pontificis, quippe quam jam olim dedit, dum confirmavit primam Fundationem Monasterii aliis Religiosis factam ea reservatione, & conditione, ut si isti aliquando Monasterium prædictum desererent, liberum ipsis Fundatoribus, horumque hæredibus, & successoribus sit, illud cum suis juribus, & pertinentiis, cujus voluerint, Ordinis Religiosis tradere.

27. Manet ergo, quod Monasterium istud sit Patribus Societatis legitima autoritate traditum, consequenter etiam manet, quod accessorie cum hoc Monasterio etiam traditum sit Jus Parochiale in M. nisi antea à Monasterio fuerit avulsum, & alienatum, quæ tamen avulsio, & alienatum est aliquid facti, adeoque ab asserentibus plene, & concludenter probanda est: quod nondum est præstitum, ne verisimiliter quidem, prout patebit tum ex responsione ad Argumenta opposita, tum ex his, quæ mox dicentur.

28. AD QUESTIONEM 4. An Episcopus Jus Parochiale in M. revera præscripserit? Ad *Q. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

quam Quæstionem respondeo negativè. Potest autem Quæstio ista formari dupliciter. 1. An Præscriptio aliqua Jus Parochiale dictæ Ecclesiæ transfulerit in Episcopum, antequam Monasterium A. traderetur Patribus Societatis? 2. An illud Jus viâ Præscriptionis Episcopus acquisiverit, postquam Traditio Societati facta est?

Ad primum Quæstionis istius membrum, tantum abest, ut aliqua Præscriptio Jus Parochiale à Monasterio deserto, usque dum illud Patribus Societatis fuerit traditum, in Episcopum transfulerit, ut ea nunquam inchoari, nedum perfici, & compleri potuerit, eò quod omnes ad Præscriptionem legitimam requisitæ conditiones defuerint, nimirum Possessio, justus Titulus, Bona fides, & Tempus legitimum. Et quidem

1. Defuit Possessio, sine qua impossibile est ullam Usucapionem, aut Præscriptionem procedere, vel etiam inchoari, ut habetur

*Reg. sine possessione. 3. de R. J. in 6. Et supponitur c. sanctorum. 3. c. causam. 7. c. si diligenti. 17. de Præscript. & l. sine possessione. 25. ff. eod.*

Ex quo natum est illud Brocardicum; *Tantum præscribitur, quantum possidetur.* Quod verò Possessio in Casu præsentis defecerit, patet ex eo, quia, ut ad *Quæst.* 2. dictum est, possessio hujus Juris semper mansit penes ipsum Monasterium, tanquam personam fictam; penes duos autem in solidum dari possessionem ejusdem rationis, nempe Civilem, quæ ad præscribendum necessaria est, omnino repugnat

*L. possideri. 3. §. è contrario. §. ff. de acquir. vel amit. possess.*

Ad summum igitur penes Ordinarium Augustanum potuit esse Possessio improprie dicta, nomine alieno, & modo provisorio, cujusmodi datur in Tutore, Curatore, Administratore rerum alienarum, in Depositario, Sequestro, vel Conductore rem alienam detinente, vel usurpante: quæ possessio, etsi mille annis duret, nunquam sufficit etiam ad inchoandam Præscriptionem, ut in confesso est apud omnes ex

*c. si diligenti. 17. de Præscript. l. pignori. 13. princ. ff. de usurp. & usucap. l. male. 2. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.*

quia qui ita rem possidet, non ut suam possidet.

2. Defuit justus, seu à Jure approbatus Titulus, cujus necessitatem exprimit

*c. si diligenti cit. l. Celsus. 27. ff. de Usurp. & Usucap. l. durina. 4. & l. seq. C. de Præscr. long. temp. l. fin. C. de Usucap. pro hæred. l. si nulla. 6. C. de acquir. & retin. possess. l. nullo. 14. C. de R. V.*

qui proinde Titulus, nisi Præscriptio sit immemorialis (qualis hic esse non potest, ut infra dicitur) non tantum allegari, sed etiam concludenter probari debet ab eo, qui Jus Parochiale contra Parochum, quem præsent-

29.

30.

31.



præsentabat Monasterium, cui fuit aliquando incorporatum, se præscripsisse contendit, prout dicitur

*c. Episcopum. 1. de Præscript. in 6.*

atqui in Casu præsentis nullus potest allegari Titulus idoneus ad præscribendum; nam alius planè non videtur assignabilis, quam necessitas providendi interim, & administrandi Parochianis Sacramenta, & Verbum Divinum ob defectum Religiosorum, quibus ea cura incumberebat: qui Titulus nec in Jure, nec à Doctoribus pro justo, & sufficiente ad Præscriptionem inchoandam habetur. Neque dici potest, quòd assignari in hoc Casu possit Titulus *pro Derelicto* ob discessionem, & desertionem Religiosorum, qui Jure isto gaudebant; quia Jus Parochiæ M. cum post desertionem Monachorum penes Monasterium, prout ad *Quæst. 2.* dictum est, manserit, nunquam potest dici fuisse derelictum: aliàs etiam ipsum Monasterium, & reliquæ Parochiæ eidem unitæ Titulo *Derelicti* potuissent præscribi, & præscriptæ fuissent ab Ordinario. Accedit, quia deserta Monasteria cum suis accessoriis, inter quæ in præsentis est etiam Jus Parochiæ M. devolvuntur ad manus, & dispositionem liberam Pontificis.

Gloss. & DD. in *c. inter quatuor. 5. de Relig. Dom.* Barbof. *ibid. n. 2.* Azor. *tom. 1. l. 12. c. 16. q. 10.* Pellizar. *tom. 2. p. 1. tract. 8. c. 7. n. 107.*

Igitur circa illa, & pertinentias illarum disponere nihil potest Episcopus, præsertim si, ut in Casu præsentis factum est, in casum desertionis Jus disponendi sibi, & Successoribus reservavit Fundator.

32. Defecit etiam Bona Fides ad omnem Præscriptionem simpliciter, & inevitabiliter necessaria.

*c. vigilant. 5. & c. fin. de Præscript. Reg. Possessor. 2. in 6. ibi: Possessor mala fidei ullo tempore non præscribit.*

Ratio est, quia Bona Fides nihil aliud est, quam Judicium sincerum, & prudens, quo quis prudenter statuit rem, vel Jus, quod possidere incepit, esse suum, & nihil agere contra Jus alterius habendo rem ut suam, vel exercendo Jus ut sibi competens: consequenter hæc Bona Fides fundatur in justo Titulo saltem existimato, ex quo quis iudicat, se rem ejusmodi licite possidere, aut Jus exercere. Atqui in Casu præsentis justus Titulus defuit, ut *Num. præc.* ostensum est, & hunc defectum scivisse Reverendissimum Officium, saltem in Foro externo præsumendum est, cum penes se utique habeat Instrumenta, quæ doceant Parochiam Quæstionis fuisse incorporatam Monasterio A. neque præsumi de eo possit ignorantia Juris, quòd statuit sine Titulo Jus alteri competens præscribi non posse.

33. Denique etiam defecit Tempus legitimum; quia ad præscribendas res immobiles, & quæ his æquiparantur, Jura Ec-

clesiarum Romanâ inferiorum de Jure communi requiruntur 40. anni cum Titulo, prout sumitur ex

*c. de quarta 4. de Præscript. & c. ad au. res. 6. eod. & patet ex toto tit. C. ne rei Domin. & Templor. vindicat. temp. præscript. submov.*

vel si Titulus deficiat, tempus immemoriale, præsertim si Jus commune resistat.

*s. Episcopum. 1. de Præscript. in 6. & notat cum aliis Pirhing. ad dict. tit. n. 95.*

Atqui in Casu præsentis 1. Deest Titulus, ut ostensum est *Num. 31.* 2. A defectio- ne Monachorum, quæ contigit Anno 1525, vel 1530. usque ad introductionem Patrum Societatis, quæ facta est Anno 1618. non fluxit tempus immemoriale; nam ad hoc requiritur, ut excedat hominum memoriam, & homines tunc existentes non sciant Possessionis contrariæ initium. Probè autem sciebant, & recordabantur homines illo tempore, quo Societas in Monasterium desertum est introducta, quòd tempore desertionis Jus Parochiale in M. adhuc fuerit penes dictum Monasterium. 3. Imò nec fluxit tempus 40. Annorum non interruptum; inprimis enim interruptum fuit hoc tempus Anno 1550. quo Anno Parochia O. & M. per proprium Parochum à P. independentem, à Domino de Fr. Fundatoris Successore præsentatum, administrari cœpta est, fuitque continuata hæc Administratio per annos omnino 30. usque ad Annum 1583. Ab isto verò Anno usque ad Annum 1618. quo Monasterium hoc cum Juribus suis traditum Societati est, intercessere tantum Anni 35. & hoc ipso tempore Provisorium nomine Ordinarii continuatum non fuit sine repetita Interpellatione facta à Subditis, proprium Parochum sibi restitui postulantibus, ut fatetur Reverendissimum Officium in Literis ad Governatorem Tyrolis Anno 1712. missis. Accidit, quia si etiam fluxisset tempus 40. annorum continuatum cum bona fide, tamen ad complendam Præscriptionem contra Monasterium prædictum non suffecisset; nam Monasterium hoc per ipsam desertionem devolutum est ad Summum Pont. consequenter censeri ex tunc debebat inter Jura Romana Ecclesiæ, contra quam non præscribitur, nisi lapsò tempore annorum centum, ut statuitur

*c. ad audientiam. 13. c. cum vobis. 14. c. si diligenti. 17. de Præscript. c. fin. eod. in 6. & Auth. quas actiones. in fin. C. de SS. Eccl.*

Confirmantur hæc tenus dicta. 1. Quia Ecclesia A. à tempore desertionis, tanquam viduata, & destituta Rectore proprio, erat quasi in Statu pupillari, unde sicut contra Pupillum tempore ætatis pupillaris non potest inchoari Præscriptio, vel cœpta continuari.

*L. sent.*

*L. sicut rem. 3. §. qua ergo. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. & Auth. nisi triennale. C. de Bon. matern.*

Ita nec contra Ecclesiam A. sic destituta Rectore proprio. 2. Si contra Monasterium tempore viduationis suæ potuisset præscribi Jus Parochiale in M. tunc æquè potuisset præscribi Jus Parochiale in Mi. & W. cum æquè ab Ordinario per sæcularem Sacerdotem modo Provisorio duæ istæ Parochiæ fuerint administratæ: quod tamen falsum esse ostendit usus Juris Parochialis in dictis Parochiis hodie dum exercitus à Patribus in Monasterium suffectis. Sicut ergo intervallum hoc temporis, quo Monasterium proprio Rectore caruit, non referebatur ad tempus Præscriptionis contra dictas duas Parochias, ita neque referri debet ad tempus Præscriptionis contra Parochiam M. sed dicendum, quòd ab Anno desertionis usque ad Annum 1618. ipsum Monasterium, & Jura ipsius manserint suspensa, & quasi sepulta, ut propterea sicut contra Monasterium, & duas reliquas Parochias eo tempore currere Præscriptio non potuit, ita neque poterit currere contra Ecclesiam M.

*c. de quarta. 4. de Præscript. c. novit. 1. & c. fin. ne sed. vacant.*

3. Si currere hoc casu potuisset Præscriptio, cursus tamen ejusdem fuisset impeditus à Parochianis O. & M. qui Juri suo Parochiali innitentes, semper in contrarium protestati sunt, dum à quovis regnante Episcopo proprium sibi Pastorem decentibus precibus, & continuata sollicitatione dari flagitaverunt: quo modo interrumpi Præscriptionem, constat ex

*L. ut perfectus. 2. C. de Annat. Except. 1. sed et si. 25. §. si ante. 7. ff. de petit. hered.*

Denique 4. defuit animus præscribendi hoc Jus in Ordinario; nam tempore illo intermedio Parochiam istam nec possedit, nec possidere potuit bona fide existimans esse suam, sed solum pro munere suo curavit, atque providit, ut Parocho proprio ob Monachorum defectionem destitutus Parochianis, cura illorum, dum proprius ipsis rursum daretur, transferretur in Parochum vicinum, qui per Cooperatorem suum interim ipsis administraret Sacra.

Ad alterum hujus quartæ Quæstionis Membrum Num. 28. propositum, an scilicet Jus Parochiale in M. Episcopus acquisiverit via Præscriptionis, postquam Societati traditum est Monasterium A. Pariter respondeo negativè; nam 1. Episcopus Jus hoc Parochiale non possedit, nec possidere potuit propriè, sed modo duntaxat Provisorio, & nomine alieno, dum curavit, vel permisit, ut eadem Parochia per Cooperatorem P. provideretur in Sacris, donec Collegium illam per unum ex PP. suis, vel per Vicarium Sæcularem à se præsentandum administraret, ex quo non videtur majus Jus ad Parochiam, vel duas partes Decimarum ac-

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

quisivisse, quàm si Parocho per complures annos ægotanti, Episcopus daret Vicarium, curaretve, ut ejus Parochia interim à vicini Parochi Cooperatore administraretur. Deberet ergo ad evincendam Possessionem propriam, & nomine proprio inchoatam, & continuatam tolli Titulus Provisorius (qui tali casu semper præsumitur, cum nemo censeatur jactare rem suam) quod fortasse fieri potuisset, si Collegium ipsum Episcopo Jus ad Parochiam Quæstionis, & Decimas, aut partem illarum cessisset vel expressè per Conventionem aliquam factam eo tempore, quo sibi Decimas, quas adhuc habet, & Villam Parochialem (den Widenhoff) vindicavit; vel saltem tacitè non reclamando unquam tanto tempore, cum tamen facere illud potuisset. Addidi fortasse; quia ne quidem expressus consensus absque Beneplacito Apostolico videtur hoc casu suffecturus fuisse, cum fuisset alienatio quædam Bonorum, Juriùmque Ecclesiasticorum, ad cujus valorem Pontificius consensus requiritur.

2. Posito etiam, & non concesso, quòd possessio propria, & legitima, ad præscribendum sufficiens intervenerit, legitimum tamen tempus ad præscribendum contra Societatem nondum completum erat anno illo, quo lis circa Jus Parochiale in M. mota est; nam ab Anno 1618. quo Societati Monasterium A. traditum est, usque ad Annum 1698. quo Lis hæc est mota, interceserunt solum anni 80. cum tamen adversus Societatem non sufficiat Præscriptio minor, quàm centenaria, propter communicationem Privilegiorum Ordinibus Mendicantibus concessorum à Leone X. & Pio IV. Item propter Privilegium Centenariæ Præscriptionis indultum ab Urbano VIII. Ordini Cisterciensi, & ab aliis Pontificibus Congregationi Cassinensi, quibuscum Societas in Privilegiis communicat.

Tambur. tom. 1. de Jur. Abb. D. 17. q. 1. n. 40. Donat. Prax. Reg. p. 1. tract. 12. q. 7. n. 20. & q. 10. n. 7. & seqq. Englitt. de Reb. Eccl. non alien. n. 23. Ubi addit ex Gravibus Viris sæpius se audivisse, quòd Ferdinandus II. Imp. statuerit generali Edicto, contra Bona Ecclesiasticarum, saltem ex Fundatione competentia, nullam omnino admittendam Præscriptionem.

3. Si etiam tempus, ad Præscriptionem requisitum, fuisset completum, defectus est in Titulo; nullus enim à Jure approbatus allegari, multò minus probari potest, cujus tamen probatio hoc Casu est necessaria, cum Præscriptio hæc allegetur in materia, in qua Jus & gravis Præsumptio resistit præscribenti, illis autem, contra quos tendit, assistit. Et hinc, ut Num. 33. monui, hoc casu requireretur tempus immemorabile, quippe quo solo contra Ecclesias sine Titulo præscribi potest.

A a a 2

c. Epi-

36.

37.

35.

34.

*c. Episcopum. 1. de Præscript. in 6.*

Quia Præscriptio tendit contra Monasterium, vel Collegium Societatis, quod in hoc Casu est locò Parochi, imò est ipse Parochus principalis in habitu, cui Jus specialiter assistit: præscribenti verò, licet etiam sit ipse Episcopus, resistit, ut videre est in Decimis, in quibus intentionem in Jure fundatam Parochus habet etiam contra proprium Episcopum.

*c. cum à nobis. 24. c. cum contingat. 29. & aliis de Decim.*

38.

4. Si & Possessio propria, & tempus legitimum, & Titulus sufficiens adfuerit, hæc tamen possessio nunquam fuit quietata, & continua, cum semper fuerit interpellata, & sic interrupta, vel potius nunquam pacifice obtenta, propter continuam reclamationem Parochianorum, constanter, & à singulis Episcopis proprium Parochum sibi petentium. Corruit autem Præscriptio, ubi non datur patientia ejus, contra quem præscribitur.

*L. ut perfectius. 2. C. de annal. Except.*

*l. sed & si. 25. §. si ante. 7. ff. de petit.*

*Hæred. Rot. p. 11. recent. decis. 304.*

*n. 11. & 13. Card. de Luc. de Jurisd.*

*disc. 34. n. 30.*

Sufficitque verbalis resistantia secundum DD. quos citat, & sequitur

*Barbof. l. 3. Vor. 126. n. 279. Clericat.*

*de Benef. discord. 65. n. 6.*

39.

5. Denique etiam poneretur, quod contra Collegium Societatis Præscriptio fuerit completa, & sic Jus Parochiale in M. acquisitum Ordinario, tamen contra illam, saltem si non fuerit immemorialis, daretur Collegio restitutio in integrum, & quidem per quadriennium computandum à die, quo re intellecta integrum fuit restitutionem petere.

*c. Ecclesia. 1. & c. seq. de in integr. restit.*

*junct. l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr. necess. non est. Less. l. 2. de Just.*

*c. 6. dub. 18. Palao D. un. de Just. in*

*gen. p. 22. §. 17. n. 5. Gaill. l. 2. obs.*

*19. n. 19. Antonell. de temp. leg. l. 2.*

*c. 59. à n. 10. Sperell. decis. 135. à*

*n. 143. Haunold. tom. 1. de J. & J.*

*tract. 5. n. 345.*

dicitque apud Sperellum *cit.* Oddus, ab hac Sententia communi sine temeritate recedi non posse, eò, quod totus Mundus eam sequatur, quam etiam Rota sæpius confirmavit.

40.

Resolvitur  
Quæstio 5.

AD QUÆSTIONEM 5. *An si Jus Parochiale in O. & M. aliquando Collegio Societatis JESU competat, illud eidem etiamnum competat?* R. Affirmativè. Sequitur ex hætenus dictis. Nam 1. Hoc Jus, prout ostensum est *ad Quæst. 1.* aliquando legitime fuit Monasterio A. incorporatum. 2. Istud Jus post defectionem Monachorum, non fuit devolutum ad Ordinarium, sed penes ipsum Monasterium desertum mansit, ut monstrant dicta *ad Quæst. 2. 3.* Idem Jus oc-

casione Donationis à Serenissimo Principe factæ ad Collegium Societatis JESU mansit, ut declaratum est *ad Quæst. 3. 4.* Denique memoratum Jus ejusdem Societatis Patribus neque viâ Præscriptionis, neque alio modo fuit ablatum: de Præscriptione constat ex dictis *ad Quæst. præc.* de Unione patebit ex modo declarandis. Igitur dicendum, quod hoc Jus etiamnum Collegio competat, & cum ipso omnes Decimæ, utpote in quibus, ut repetitò dictum est, intentionem fundatam in Jure Parochus habet etiam contra proprium suum Episcopum, quas proinde in Petitorio prædictum Collegium sollicitare potest, & obtinere debet, modò Vicario, pro Curæ administratione in futurum constituendo, hauriatur, & assignetur portio ex redditibus, quæ ad congruam ipsius sustentationem sufficiat.

Jam verò, quod per Unionem, alterius in favorem factam, Jus Parochiale Quæstionis non fuerit ademptum, luculenter ostenditur. Si enim alteri cuidam fuisset unitum, unitum illud fuisset vel Mensæ Episcopali Augustanæ, vel Parochiali P. neutrum dici potest. Non primum; quia hujusmodi Uniones in favorem Mensæ Episcopalis facere Episcopus nequit, etiam de consensu Capituli, utpote quod disertis verbis prohibetur

*Clem. 2. de reb. Eccl. non alien.*

ubi absolute irrita declaratur cujuscunque Parochialis Ecclesiæ, ab Episcopo in favorem Mensæ suæ facta incorporatio. Textus sic habet: *Quodsi Episcopus (sui etiam Capituli accedente consensu) Mensa sua, vel ipsi Capitulo aliquam duxerit Ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decernimus, contraria quavis consuetudine non obstante.* Ratio est, quia sic, Episcopus, & Capitulum auctoritatem præstaret in facto proprio.

*Gloss. in Clem. cit. V. Capitulo. Azor.*

*p. 2. l. 6. c. 29. q. 17. Layman. l. 4.*

*tr. 2. c. 9. n. 6. Palao tract. 13. D. 6.*

*p. 12. §. 2. num. 6. Pirhing tit. de reb.*

*Eccl. non alien. n. 9. not. 5. Clericat.*

*de Benef. discord. 48. n. 44. & discord.*

*76. n. 23.*

Sed neque dici potest secundum, scilicet quod Parochia M. tanquam filia, unita, & incorporata sit Parochiæ P. tanquam Matrici. Nam 1. Parochiarum Incorporationes juxta laudabilem consuetudinem, pro necessaria in futura tempora informatione, fieri solent per Instrumentum aliquod publicum, quod penes Reverendissimum Vicarium Generalem, aut Ecclesiæ Rectorem, vel Capituli Decanum asservetur. Tale autem Instrumentum de facta Incorporatione Ecclesiæ M. ad Ecclesiam P. non extat, nec unquam produsse constat. 2. Eandem Unionem, & Incorporationem non probat Administratio hujus Ecclesiæ per Cooperatorem P. tanto tempore continuata; quia sæpè contingit, ut vel ob bellorum, aut peccatis injurias, vel ob Parochiæ temporalem indigentiam

indigentiam, aut penuriam, & defectum Sacerdotum una Ecclesia Proviforio modo, etiam longiore quandoque tempore, à Parocho vicino procuretur: quin tamen ex eo inferri possit, quòd Ecclesia ita provifa alteri incorporata sit. 3. Si Ecclesia hæc incorporata esset perpetuo Parochiali P. ut perpetuis temporibus per Cooperatorem ibidem procuraretur, deberet constare de Institutione istius in ista Ecclesia. Atqui non legitur, quòd toto hoc tempore unius & dimidii Sæculi Cooperatores P. in Ecclesiam M. sint propriè instituti, sed tantum aliqua Parochialia obire jussi sunt, reclamantibus tamen semper, ut iteratò dictum est, & Jus suum Parochiale prætendentibus Parochianis O. & M. Igitur dici non potest, quòd Ecclesia hæc Parochiali P. propriè unita sit, sed tradita illa duntaxat est pro administratione temporanea, usquedum proprium Pastorem reciperet: ex quo proinde sequitur, assignatà portione Decimarum Parochum P. diutius frui non posse, quam quamdiu durat Cura, & procuratio ista. Minus videri potest, ex qua causa legitimari possit perceptio Decimarum ad duas tertias, quas Ordinarius Mensæ suæ conjunxit; nam etsi daretur, Ecclesiam M. incorporatam fuisse P. per hoc tamen Ordinarius ad duas illas Decimarum partes, cum ipse sibi, ut dictum est, author Unionis ad Mensam suam esse non possit, Jus nullum acquisivit.

43. Porro quòd hodieum penes Collegium sit, & esse debeat Jus Parochiale in M. probatur, & confirmatur ulterius 1. Quia Parochia M. non minus incorporata fuit Monasterio A. ac incorporata fuit Mi. W. & Beneficium S. Alexandri: atqui in hæc Beneficia occasione Donationis, quâ Serenissimus Princeps autoritate Pauli V. Societati tradidit Monasterium prædictum cum omnibus annexis juribus activis & passivis, & cunctis dependentiis, Jus plenum obtinuit Collegium; ergo simile Jus pariter etiam obtinuit, & adhuc obtinet in Ecclesia M. Conf. 2. Si Episcopus iusto titulo prætenderet Jus Parochiale, & Decimas in M. & O. id haberet, vel quia Monachi desertores eadem jura consensu expresso, vel saltem tacito donarunt Episcopo, & hic ea ipsa jura ab iisdem accepit; vel Ecclesiæ à possessoribus desertæ, & destitutæ, & jura ipsarum in Ordinarium dominium, vel quasi recidunt. Primum dici non potest; quia Monachi desertores sine consensu Pontificio ipsam Ecclesiam, & jura illius neque expressè, neque tacitè donare validè poterant: consequenter neque Episcopus sic donatà validè acceptare, indubitatis Juribus ejusmodi donationis, cessionis, & acceptationis validitati obstitentibus, qualia sunt

*c. nulli. §. c. si quis. 6. & reliquo ferè toto titulo de reb. Eccl. non alien. Extrav. un. eod. Clem. Monasteriorum. 1. dist. tit. ubi sub poena suspensionis ab Offi-*

cio, ac nullitatis Donationes, Cessiones, & Alienationes Jurium, Redituum, aut possessionum Bonorum immobilium, ad Monasterium pertinentium, omnibus promiscuè Regularibus ita prohibentur, ut Donatario nullum unquam inde Jus acquiratur. Consentit Jus Civile *l. sancimus. 21. & auth. hoc Jus potestatum. C. de SS. Eccl. & alibi sæpius.*

Secundum dici non potest; quia Monasteriorum desertorum Jura, & cum Juribus ipsæ quoque Ecclesiæ Monasteriis unitæ, ubi à possessoribus deseruntur, non in Episcopi, sed Summi Pontificis, supremum in omnes Ecclesias Regulares Dominium obtinentis, manus, & potestatem recidunt, qui proinde solus, non verò Episcopus, sine consensu Pontificis, extra necessitatem, mutare statum Ecclesiæ Regularis potest.

*c. inter quatuor. §. de Relig. domib. Barbosa. ibid. num. 2. Pirhing. num. 15. Wiestner à n. 18. Ego à n. 25.*

Quare melius sic arguitur: Anno 1530. Monachi deseruerunt Monasterium suum cum omnibus juribus, & Bonis ipsi annexis. Ergo illud cum iisdem Juribus, præsertim Ecclesiasticis, consequenter cum Parochia M. devolutum est ad manus Summi Pontificis, & hoc mediante in eos, in quos Jus Monasterii prædicti translatum est. Translatum autem est ad Patres Societatis, promovente negotium istud Serenissimo Principe. Ergo idem PP. Jus istud acceperunt, & etiamnum habent.

AD QUESTIONEM 6. *Utrum ad probandam Incorporationem, seu primam Ecclesiæ M. factam per Schwiggerum Huser, seu secundam ipsius Monasterii A. quæ facta est procurante Serenissimo Principe in favorem Societatis auctoritate Pauli V. Pont. necessarium sit ostendere in Originali Literas Pontificias approbatorias ejusmodi translationis?* Si hoc requiretetur, difficile foret Literas hujusmodi ostendere; quia Schwiggerus quidem tradidit, ac donavit Ecclesiam M. cum omnibus absolute Juribus Monasterio An. 1380. Literæ tamen Donationis ab isto datæ nullam mentionem faciunt de consensu Pontificis, vel Episcopi, sine quo ipse, tanquam Laicus, Jus Parochiale, quod habere non poterat, dare non potuit. Contrà in Literis Donationis, quibus Serenissimus Princeps Collegio tradidit, & donavit Monasterium A. cum omnibus pertinentiis, clara quidem sit mentio consensûs Pauli V. Pont. hæctenus tamen non inventæ sunt Originalis Literæ.

44. Sed dicendum, ad neutram Incorporationem probandam requiri, ut Literæ Pontificiæ approbatoriæ Incorporationis exhibeantur in Originali. Et quidem quòd ad probandam primam Incorporationem, quæ Schwiggerus Huser Ecclesiam M. cum pertinentiis donavit Monasterio A. non sit necesse exhiberi Literas Apostolicas approbatorias Incorporationis, constat ex dictis

AAA 3

Num,

44.  
Resoluitur  
Questio 6.

45.

*Num. 15.* ubi dixi, quòd si à die alienationis tempus longum, aut longissimum lapsum est, & interea nunquam fuit impugnata alienatio, omnia cum requisitis solennitatibus legitime acta præsumentur, ex generali Regula, quòd solennitates intrinsecæ, quæ ad Contractum sunt necessariæ, ex temporis diuturnitate præsumentur, si ex parte ejus, cui præsumptio favet, possessio sciente, & patiente parte adversâ detur.

46.

Ad alteram verò Incorporationem, quòd ea facta sit cum consensu Pauli V. Pont. sufficit, in Literis Foundationis à Serenissimo Principe datis, & subscriptis, sigilloque ejus munitis referri, quòd traditio hæc facta sit cum pleno Pontificis consensu; sunt enim Literæ publicæ, quæ vim Instrumenti Publici habent, consequenter plenam faciunt fidem quoad illum finem, in quem scriptæ sunt, & Sigillum appressum est, præsertim si à Principe, vel jussu Principis Supremi scriptæ sint, propter exuberantem in tali Persona fidem, prout sumitur ex

*c. scripta. 2. de fid. Instrum. Et tradit Gloss. fin. ibid. Hiltrop. p. 3. tit. 10. §. vocabul. Instrum. & c. num. 11. & tit. 12. num. 1. & seqq. Welenb. ff. de fid. Instrum. num. 2. Everhard. eod. c. 12. n. 25. Pax Jordan. l. 14. tit. 20. n. 5. Haunold. tom. 5. de J. & J. tract. 4. num. 577.*

47.

Confirmatur: Collegium Societatis JESU sine ulla contradictione hæcenus gavisum est Jure Parochiali Ecclesiarum Mi. & W. licet nullæ habeantur Literæ Originales, quibus Monasterio, quod in Collegium prædictum versum est, traditæ sunt binæ illæ Parochiæ. Igitur multò minùs in controversiam trahi debet Jus Parochiale in M. cum de hac Ecclesia Literæ Originales, quibus Jura, & Bona omnia ad istam pertinentia à Fundatore traduntur, extant, & ostendi possint, & ipse Princeps de consensu Apostolico, quo Traditio Monasterii istius cum suis Juribus, & Bonis ab ipso facta approbetur, in Literis suis testetur. Ratio est, quia ut communis habet doctrina apud

*Haunold. tract. 4. cit. n. 284.*

Summus Pontifex, Imperator, vel alius Princeps, Superiorem non recognoscens, si de facto, vel re aliqua perhibeat testimonium, etiam se solo facit plenam fidem eorum, de quibus testimonium perhibet. Omnia hucusque dicta magis confirmantur ex responsione ad Argumenta opposita. Igitur

48.

Respondetur ad Argumenta opposita.

Ad 1. Si hoc Argumentum aliquid probaret, probaret, quòd reliquæ etiam duæ Parochiæ, Mi. & W. per desertionem Monachorum devolutæ sint ad Episcopum, & pleno jure eidem competant: quod tamen Reverendissimum Officium non præterdit. Non ergo ad Episcopum devolutum est Jus Parochiale in M. sed mansit penes Monasterium viduatum, prout ostensum est *Num. 19.* & cum Monasterio transiit ad liberam

dispositionem Sedis Apostolicæ; nam ad hanc Monasteria deferta cum suis Juribus devolvuntur, secundum

*Gloss. in c. inter quatuor. §. de Relig. Dom. Barbol. ibid. n. 2. & alios.*

Et Episcopi interea, dum ejusmodi Monasterio iterum novus imponatur Rector, tantum est, Ecclesiis Parochialibus, si quas illud incorporatas habet, interea providere de administratione Curæ animarum, & modo provisorio interim constituere Pastores, sicut contingit, quando Ecclesia Parochialis ex aliquo capite diutius vacat.

*c. licet. 3. & c. fin. de Suppl. negl. Pralat.*

Atque hoc, & non plus probant textus in hoc Argumento allati. Dictum illud, *Episcopus est in sua Diocesi, quod Papa in tota Ecclesia*, habet plurimas Exceptiones, & si ita, prout verba sonant, intelligi deberent, satis propinquè accederet ad doctrinam Jansenistarum, qui Episcopis æqualem cum Pontifice, quamvis non ita diffusam, sed limitibus Dicecesium suarum restrictam potestatem tribuunt.

Ad 2. Inprimis Dominus de F. prout ex Actis constat, nullo modo passus est Jus Parochiale, & Decimale in M. appropriari Parochia P. quod inde constat; quia cum Ecclesia M. ob defectionem Monachorum aliquamdiu orbata Pastore, Parochum P. Provisorem habuisset, ipse Dominus de F. Jura prædictæ Ecclesiæ tuiturus, præsentavit Parochum alium, à P. prorsus independentem, isque institutus est ab Ordinario, idque continuatum fuit usque ad Annum 1583. quo Dominus prædictus obiit. Mortuo isto, Provisio Parochiæ M. & O. quidem rediit ad Parochum P. sed istud non aliâ, quam Reverendissimi Officii autoritate factum est. Ex quo apparet, quam exiguum fundamentum sit suspicandi, quòd inter Ordinarium, & Dominum de F. convenerit, ut certis conditionibus Parochia M. à Monasterio abstraheretur, & Parochiæ P. uniretur. Imò contrarium est longè probabilius; quis enim credat, quòd allegatus Toparcha Jus Parochiale in M. & ipsam Ecclesiam voluerit unire Parochiæ extraneæ, & in Territorio alieno sitæ, qualis est P. quam æquè facile potuisset conjungere cum Parochia sita intra Territorium proprium, qualis est W. utpote quæ tam propinqua est Pago M. quam propinqua est Ecclesia P. Semper enim quis favere magis præsumitur subditis propriis, quam alienis. Deinde Jus Parochiale vel est, vel involvit potestatem saltem in foro interno ligandi, ac solvendi à peccatis, administrandi Sacramenta, annuntiandi Verbum DEI &c. quæ potestas est verè spiritualis: consequenter per conventionem cum Laico, juris istius incapace, à Monasterio, penes quod etiam post desertionem permanet, avelli, & ad Ecclesiam P. transferri non potuit; nam liquidum juris est, quòd causa

& u.

& titulus habilis ad acquirendum Jus non fit conventio cum eo , in cuius potestate non est tale Jus , cum nemo det , quod ipse non habet.

50.

Ad 3. Inprimis non sufficit quæcunque conjectura ad probandam Unionem in præjudicium tertii factam , præsertim ubi graves in contrarium stant præsumptiones , & rationes. Deinde non est in potestate Episcopi Beneficium , jam uni Ecclesiæ , vel Collegio unitum , ab hoc separare , & unire alteri sine illius consensu , qui tamen à Collegio Societatis nunquam fuit petitus , neque datus , nec dari potuit absque consensu Præpositi Generalis , & S. Congreg. Episc. & Regul. Quod maximè procedit , quando Ecclesia non exempta unita fuit exemptæ ; nam per ejusmodi Unionem non exempta induit naturam exemptæ , & Jus exemptionis acquirit.

Azor p. 2. l. 6. c. 28. q. 2. Palao tract.

13. D. 6. p. 12. §. 1. n. 7. Monacell.

p. 3. Append. decis. 12. n. 3.

Ratio est , quia Unionis accessoræ ea natura est , ut titulum Ecclesiæ unitæ tollat , eamque faciat membrum , & quasi prædium Ecclesiæ , cui facta est unio.

Garc. de Benef. p. 12. c. 2. n. 12.

Consequenter sicut Ecclesia , cui facta est Unio , sub potestate Ordinarii non existit , ita ab eadem eximitur Ecclesia ipsi unita. Minus in potestate Episcopi est Parochialem Ecclesiam , præsertim unitam Regularibus , unire suæ Mensæ , aut Capituli , etiam de istius consensu ; quia auctoritatem præstaret in facto proprio.

Clem. 2. de reb. Eccl. non alien.

Indicium , ex quo Præsumptio factæ Unionis capitur , ad hanc probandam insufficientis est ; capitur enim duntaxat ex diuturna administratione Ecclesiæ M. facta à Parocho P. ex qua Unio non potest colligi. Ostenditur exemplo alterius Ecclesiæ sitæ in eodem territorio nempe Eg. Pertinet hæc ad Collegium Canonicorum Regularium , & à longo æquè tempore ( utut olim Parochialis ) ab iisdem Cooperatoribus P. in functionibus Parochialibus providetur , quin tamen interea Ecclesiæ P. tanquam Matrivi , incorporata fuerit. Ergo neque ex eo , quod Ecclesia M. fuerit hæcenus provisiva à Cooperatoribus P. sequitur , illam Parochiæ P. fuisse incorporatam. Neque dicas , aliunde constare , quod Ecclesia Eg. fuerit Parochia jam olim separata à P. nam etiam M. olim fuit separata Parochia , neque unquam Jus Parochiale amisit : quamvis enim Cooperatores P. Sacras Functiones aliquas ibi exercuerint , nunquam tamen illas titulo Parochi , sed Provisoris tantum exercuerunt , ut adeo Collegium sit in possessione Juris Parochialis , utpote quod Provisoria Procuratio non potuit tollere.

51.

Ad 4. Patet ex dictis ad Quæst. 4. ubi ostensum est , in Casu præsentis deficere omnes conditiones ad Præscriptionem necessarias , nimirum Possessionem , justum Titulum ,

Bonam Fidem , & Tempus Legitimum. Præterea præterea Præscriptioni opponi potest constans fama , testans , Ecclesiam M. esse Parochialem ; præterea possessio non interrupta , quæ in hanc usque diem Collegium retinuit Villam , alias Parocho Loci propriam , den Widenhoff ; item continua protestatio , sollicitatio , & petitio Comunitatis O. & M. quæ jam ab eo tempore , quo Ecclesia illa accepit Provisorem ex Parochia P. in hodiernum usque diem urserunt Jus Parochiale antiquum , & specialiter sibi debitum , adeo , ut nullus in Ecclesia Cathedrali existerit Episcopus , apud quem Parochiani O. & M. non sollicitarunt pro proprio Parocho sibi dando , prout testantur ipsæ Literæ Reverendissimi Officii in Actis Germanicis citt. quæ omnia utique sufficere debent , ne ulla Præscriptione Jus Parochiale dici debeat ablatum , & avulsam fuisse à Monasterio , vel Collegio. His omnibus accedit , quod neque Cooperator , neque ipse Parochus P. fuerint unquam instituti proprie in Parochia M. sed Functiones Parochiales , quas in Ecclesia ista exercuerunt , exercuerunt solum titulo Provisorio , non verò Parochi , qui titulus Provisorius non est aptus ad unam Ecclesiam per viam Præscriptionis avellendam ab antiqua sua Matrivi Ecclesia , & eam alteri uniendam ; solet enim , & debet Episcopus , quando aliunde contingit ; Beneficium aliquod , præsertim Parochiale , diutius vacare , ne Cura animarum patiatur defectum , provisorio interim modo demandare illius administrationem alteri , prout recens est exemplum in Parochia S. M. A. quæ per 20. & ultra annos administratur ex causa litis duorum ad eam præsentatorum , ex qua tamen provisione , licet per 100. annos duraret , nemo dixerit , Parochiam illam accrevisse Episcopo.

52.

Ad 5. Nunquam asseruit Collegium , se Monasterium Quæstionis cum Juribus Spiritualibus accepisse immediate à solo Domino Territoriali Laico , utpote incapace Possessionis Spiritualium , licet ab eodem accepisset se grato animo agnoscat Bona illius temporalia , eò quod primus Fundator sibi , hæredibus , & successoribus suis ( id , quod fieri potest in limine Foundationis , interveniente saltem Ecclesiastica Authoritate ,

Arg. c. præterea. 23. de Jur. Patron. )

reservaverit Jus illa Bona aliis Religiosis in eventum , quo primi incolæ Monasterium desererent , pro arbitrio concedendi : sed Patres Societatis Jus Parochiæ , de quo litigatur , obtinuerunt immediate à Summo Pont. Paulo V. ( adnitate Serenissimo Principe ) unà cum Monasterio , penes quod tanquam personam fictam , remansit toto desertionis tempore Jus Parochiæ in M. sicut permanfit Jus Parochiale in M. & W. Potuit autem Pontifex , ut supra N. 43. propè finem dictum est , hujusmodi Monasteria deserta tradere , quibus voluerit , quippe quæ unà cum Bonis , si illa Fundatores in talem eventum sibi non refer-

vârunt,

vârunt, & cum Juribus omnibus, & pertinentiis sunt in libera dispositione Pontificis.

Mirand. *Man. Pralat. tract. 1. q. 34. art. 2. concl. 2.* Barbof. *J. E. U. l. 2. c. 12. num. 67.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. D. 17. q. 7. n. 7.*

53.

Ad 6. Serenissimus Princeps Territorialis petiit, & impetravit consensum Summi Pont. Pauli V. qui sufficiebat etiam sine consensu Episcopi; quia ut bene

Bald. *in l. illud. 2. C. quand. Decret. opus non est.*

habens verbum Superioris non opus habet verbo Inferioris. Igitur opus hoc casu non erat consensu Episcopi: imò hunc interponere de Jure non potuit, cum nihil Juris circa Monasterium, ut paulò antea dictum est, desertorum dispositionem habeat, quippe quæ non ad Episcopos, sed ad Papam, & liberam istius dispositionem recidunt. Imò si Monasterium hoc etiam post desertionem mansisset in potestate Ordinarii, tamen, præcedente consensu Papæ, consensus Episcopi non fuisset necessarius, ex communi doctrina, juxta quam pro valida habenda est alienatio Rerum Ecclesiasticarum, quæ interveniente justâ causâ, & consensu Pontificis absolute, legitime, & absque Ob- vel Subreptione impetrato, licet sine reliquis solennitatibus à Jure præscriptis, facta est.

Gratian. *Discept. for. c. 43. num. 19.* Quarant. *Summ. Bullar. V. alienatio. n. 7.* Corrad. *Prax. Disp. Apost. l. 9. c. 1. num. 22.* Sperell. *decis. 154. num. 11.* Tambur. *tom. 3. de Jur. Abb. D. 13. q. 4. n. 9.* Donat. *tom. 1. prax. Regul. p. 2. tract. 14. q. 18. n. 1. & q. 26. n. 1.* Gibalin. *tom. 2. de Negot. l. 4. c. 8. art. 3. num. 7. §. an verò.* Vincent. *Petra tom. 1. Comment. fol. 73. n. 3.* & hoc teste sæpius est decisum à Rota.

Ratio est, quia Papa plenissimam habet potestatem disponendi de Bonis Ecclesiasticis, tanquam Supremus eorum Administrator, & Ordinarius Ordinarius. Igitur solennitatibus Juris ligari non potest, quin valida sit alienatio ipsius consensu facta, sed ipse consensus, & autoritas Papæ defectum solennitatum Jure requisitarum supplet. Frustra ergo in casu præsentis præter consensum Pontificis requiritur consensus Episcopi. Et hoc verum est non tantum respectu ipsius Monasterii, sed etiam respectu Jurium ipsi annexorum, consequenter etiam Parochiarum incorporatarum, quippe quæ tanquam accessorium sequuntur naturam principalis. Non debuerunt ergo Patres Societatis, obtento semel consensu Apostolico, pro obtentione Juris Parochialis in M. supplicare Ordinario, licet rectè ab isto petant liberum Juris istius usum vi Donationis Apostolicæ sibi debitum,

atque in hunc finem Anno 1698. imploraverint assistentiam, & auxilium sui Fundatoris.

Ad 7. Per non-usum non amittitur ullum Jus, nisi inde colligi possit aut tacita renuntiatio, aut Præscriptio introducta, quæ Jus tale ablatum sit; Præscriptione autem Collegium Societatis Jus Parochiæ M. non amittit, ut ostensum est ad *Quæst. 4.* Tacita Renuntiatione etiam non amittit, quippe quæ ex isto non-usu non potest colligi, cum silentii istius causa non fuerit, quasi Patres Societatis crediderint sibi Jus Parochiæ contraveri non competere, sed quia viderunt, quòd Parochiani O. & M. eò usque vel non potuerint, vel non voluerint dare congruam sustentationem Parochio, quem proprium sollicitabant, & sic difficilis futura fuisset executio. Hinc maluerunt Ecclesiam M. relinquere in statu Provisorio, & non retrahere Decimas, quibus tum Ordinarius, tum Parochus P. ratione Provisionis fruebantur, & adhuc fruuntur, nihil exinde existimantes præjudicari Juribus suis, quippe quæ sufficienter conservabantur reclamazione à Parochianis oppositâ; cum enim exercitium Juris Parochialis in M. quòd Collegium prætendit sibi competere, dependeat ab impetratione proprii Parochi, hujusque installatione, ipsa sollicitatio, ab ipsis Parochianis tanto tempore continuata, indirectè profuit ipsi Collegio. Huic causa accessit altera, scilicet metus reverentialis, quòd Collegium timuit offensam Reverendissimi sui Ordinarii, & idcirco tacuit proponere Jura sua. Quamprimum verò iste credebatur non ægrè laturus, si Collegium repeteret, quòd suum esse credebat, simulque Parochiani visi sunt daturi, quòd sufficere posset ad proprii Parochi sustentationem, incepit Causam per seipsum proponere An. 1698. & Parochianorum petitioni, quam semper justam esse existimabat, tandem assistere. Dicit ergo non potest, quòd silentium Patrum hoc casu vim tacitæ Renuntiationis habeat, & quòd per istam Jus Parochiale in Ecclesia M. antea Collegio competens, ab eo avulsam, & Reverendissimo Ordinario adjectum fuerit.

DICENDUM igitur, quòd Ecclesiæ prædictæ Jus, olim aliis Religiosis Monasteriis A. inquilinis competens, horum desertione nequaquam devolutum sit ad Reverendissimum Ordinarium, sed postquam sat multo tempore cum Monasterio ipso deserto dormit, hoc ad Societatem translato, etiam ipsum ad istam transfirmit, & apud hanc, cum ostendit nequeat, illud aut præscriptione, aut renuntiatione, aut alio modo sublatum esse, hucusque manserit, & adhuc maneat: atque adeò justissima sit petitio, quæ illa sibi Jus istud postliminio vindicare contendit.

Ita salvo meliore.

CON-